

De Prædicatione.

15

pus fit in subiecto aut prædicatō, & quod alterum horum, non verò copula, multo minus tota enunciatio, (ut aliqui Calvinianorum docent) improprie sumatur, facile probari: nam quando impropria est prædicatio, illud improprie sumitur, & in illo est tropus, quod in resolutione vel reductione impropriae illius propositionis ad propriam, à tropo liberatur; & contra, quod à tropo non liberatur, sed eandem significationem retinet, tropo quoque caruit, nec improprie acceptum fuit: jam verò non copula, multo minus tota enunciatio liberatur à tropo, E. nec in copulâ, nec in tota enunciatione fuit tropus: sicut autem subiectum vel prædicatum liberatur à tropo vel improprietate: ita tropus vel improprietas est in subiecto vel prædicato. Vid. *Arnis. not. ad Crell. part. com. Log. l. 2. c. 3. §. 2. lit. B.*

13. Altera species impropriae prædicationis, quæ à Logicò retineri & prædicari solet, est prædicatio concomitativa. Est autem prædicatio concomitativa, in qua alterum de altero affirmatur in casu recto, quia cum eò simul est, vel illud comitatur, e. g. *Unius generatio est alterius corruptio.*; hic de unius generatione affirmatur corruptio alterius, quia generatio unius & corruptio alterius simul
sunt